

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiarvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

583. An, si pensionarius acceptis à Titio Titulari pensionibus trium  
annorum sequentium anticipatis solutionibus, dein pensionem ex  
Apostolica auctoritate transferat in Cajum, hic exigere possit à ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](#)

**Questio 582.** An pensionarius negligens in exigendo pensionem à defuncto titulari, ejusve heredibus, habeat actionem contra ejus successorem modernum beneficii possessorē?

**R** Esponder negativè Card. de Luc. de pens. d. 31. n. 8. juxta dicta à nobis suprà, ubi, an successor solvere teneatur pensiones decursus tempore antecessoris sui; quamvis enim in puncto juris probabilior forte sit opinio affirmans pro pensionibus decursis tempore antecessoris nullam competere actionem super fructibus futuris contra successorem; contrarium autem ex quadam aequitate in Curia receptum sit, ita ut de stylo potius quam de jure detur actio contra successorem pro pensionibus illis decursis. Card. idem cit. n. 3. idipsum tamen nonnulli qualificatè receptum est, nimurum si pensionarius doceat de diligentia bene à se adhibitis contra antecessorem competit ei hac actio de stylo potius, quam de jure inducta contra successorem; secus si de iis docere nequeat. Card. de Luc. loc. cit. n. 9. eadem ferè habet idem Card. de pens. d. 19. n. 5. juncto n. 14.

**Questio 583.** An, si pensionarius acceptis à Titio titulari pensionibus tribus annorum sequentium anticipatis solutionibus, dein pensionem ex Apostolica auctoritate transferat in Cajum, hic Cajus exigere possit à Titio pensionem tribus primis annis à translata in se pensione?

**R** Espondeo: affirmativam videri probabiliorē; et quod in translatarium non transferatur penſio, quam habet transferens, sed eā exstanti translatarius obtineat novam similem prouis priori; cùm non detur in pensionibus vacatio, sed extinctio, & consequenter soluta facta transferenti illi nou possit beneficium relevare ab onere solvendi moderno pensionario nempe translatario isti pensionem, debeatque sibi imputare Titius, quod anticipato solverit; quemadmodum, si Prelatus cloēans fructus aliquius prædi, & anticipato recipiens solutionem aliquot annorum, dein moritur, non relevatur locatarius à solvenda pensione successori Prælato, tametsi jam antecelori solverit. Castrop. d. 1. p. 11. §. 8. n. 11. Azor p. 2. l. 8. c. 12. q. 1. contra Gig. de pens. q. 88. n. 5. apud eund. Castrop. hac motu ratione, quod transferens in translatarium jus aliud non transfluerit, nisi quod ipse possidebat; cùm ei subrogetur translatarius, transferens autem receptis illis anticipatis solutionibus non habeat potestatem exigendi à titulari illis annis tribus sequentibus; item quod titularis anticipata solutione liberatus sit ab obligatione solvendi, adeoque eam de novo contrahere nequeat.

**Questio 584.** An exigi possit penſio per procuratorem, & is probare teneatur mandatum suum, & suum principalem superstitem esse, seu adhuc vivere?

**R** Espondeo supponendo primum, ad secundum: Procurator verificare debet mandatum, quia sine mandato esse nequit procurator. Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 6. n. 16 in fine. Et si beneficiarius opponat exspirasse mandatum, quia pensionarius jam è vita deceſſisset, beneficiarius id

probare debet; quia procurator, dum alia ejus mandatum tanquam validum admittitur, fundatam habet intentionem suam. Castrop. loc. cit. sc̄tus esse dicens, si beneficiarius opponeret falsum esse mandatum.

2. Respondeo ad tertium: Affirmativam tēneri à Castrop. loc. cit. ubi: si beneficiarius opponeret, pensionarium jam è vita deceſſisse tempore decursa pensionis à se petitā, competit procuratori probare, pensionarium illo tempore vixisse. Idem tenet ab illo Ventrigh. 10. 2. annot. 11. §. 3. n. 46. nimurum titulari opponente, teneri talentum procuratorem omnino probare superviventiam sui principalis, non solum in urbe, sed etiam extra; tum quia sic habeat communis consuetudo, tum etiam, quia in literis reservationis apponi solet clausula: quod vixerit: qua, cùm videatur importare conditionem, veniat verificanda: tum etiam, quia fraudes multæ committi solent in pensionum exactiōnibus, quibus obviandum citat pro hoc Maceraten. var. resol. l. 1. resol. 112. casu ē. ait nichilominus Tond. qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 92. hoc ipsum tamen non tam impliciter admittendum videri, dum in contrarium adesse probables aliquæ conjectura mortis, cùm de jure vita hominis præsumitur durare ad centum annos; quemadmodum in simili casu de procuratore confituro per patronum ad presentandum, quod non teneatur probare vitam sui principalis, et si is absens sit, dum ejus nomine vult admitti ad presentandum. Pro quo postrem citat Lott. l. 2. q. 14. n. 44.

**Questio 585.** An, & qualiter exigi possit penſio ante expeditionem literarum Apostolicarum super reservatione pensionis, & sub qua pena id prohibeatur?

**R** Espond. ad primum: Penſio nullatenus exigitur, aut etiam solvi potest ante confectionem & expeditionem literarum, seu Bullarum Apostolicarum super dicta reservatione, ob decretum & clausulam apponi mandatam ac solitam in supplicatione à tempore Gregorii XI. penſionem, vigore tamen literarum desuper expedientiarum, nec alia solvendam. Item ob hoc decretum à tempore Sixti V. extensum haec ratione: vigore literarum Apostolicarum desuper expedientiarum, nec ante; alia praēsens reservatione nulla sit eo ipso, &c. Quibus Clemens VIII. adjecta limitatione temporis expediendi dictas literas intra novem menses à die supplicationis sub pena nullitatis reservationis pensionis. Corrad. pr. benef. l. 3. c. 7. n. 25. dicens: quidquid fuerit antehac, hodie certum esse, non posse sine dictis literis exigi pensionem. Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 6. n. 9. Gart. p. 4. c. 2. à n. 43. Lott. l. 1. q. 37. à n. 6. Ventrigh. 10. 2. annot. 11. §. 1. n. 29. qui omnes tefuntur, de dictis decretis seu clausulis. Item Azor p. 2. l. 8. c. 12. q. 3. ubi: quod, sicut imperato à Papa beneficio, illius possesso apprehendit nequit sine illius literis; ita etiam post impetratam penſionem necesse est, ut expediantur literæ Pontificiæ, ut solvat pensionarius ministris pontificiis in Curia laborantibus; & quidquid sit de jure, usus Romanæ Curiae sic habet, ut exigi non possit sine dictis literis penſio. Item Card. de Luca de pens. d. 29. n. 3. & d. 44. n. 9. & 10. ubi, quod penſio exigi nequeat ante expeditas literas, id non tam jure statutum, quam provenire ex decreto annullativo in ipsa reservatione prima adjici solito.

2. Am-